




§. I.

OCCASIO THEMATIS.




ogitandi mihi de themate dissertatio-  
nis inauguralis forte offertur species,  
quam consideratione non omnino in-  
dignam censui. Caius & Titia am-  
bo, quantum constat, coelibes, li-  
cet postea alterutrum in coniugio  
vixisse a nonnullis affirmatum fuerit  
procreant filium, cuius vero ipsos adeo pudet, vt  
non tantum initio, sed etiam cum matrimonio de-  
inde iungerentur, eum summa cura celauerint, &  
in externis locis educandum curauerint. Praestite-  
runt tamen ipsi necessaria alimenta, eumque inter-  
dum





dum praesentem viderunt, & filium appellarunt. Nascuntur interea ex matrimonio isto plures liberi *legitimi*, qui cum facti illius ignari, post mortem utriusque parentis ad hereditatem modicam, quae neque feuda neque fideicommissa familiae complectebatur, diuidendam conueniunt, apparet praeter opinionem & ex improviso frater ignotus, atque hereditatis partem petit. Peracta filiationis probatione litem difficiliorem reddidit tum eius *occultatio* hucusque studiose obseruata, tum exprobratio nouiter facta, quod inopinatus ille aduena sit *adulterinus*, quibus argumentis omnem legitimisationis per subsequens matrimonium effectum excludere tentabant aduersarii. Tandem controuersia transactione est finita. Duplicem tamen hanc quaestionem paullo vberius examinare lubet, praesertim cum de priore neminem, qui data opera scripserit, sciam, & in posteriore quoque post excellentem curam, quam in ea enucleanda *Viri celeberrimi*, SAM. STRYK. *Vsu modern. tit. de his, qui sui vel alieni iuris §. XI. sq.* IVST. HENNING. BOEHMERVS *dissert. de legitimisatione ex damnato coitu natorum*, & HENRICVS BROCKES *programme de partu adulterino per subsequens matrimonium legitimated succedente*, quod adiectum est dissertationi IOH. GERH. MÜNCHII *de monetariis principum & ciuitatum Germaniae* **Hausgenossen** dictis, posuerunt, non prorsus deesse videantur, quibus vltiore disquisitione & illustra-





illustratione opus esse queat. Ceterum diuersa iura, quibus in Germania utimur, in qualibet iuris doctrina distinguenda esse nemo dubitat, quam viam igitur etiam hic inire ratio iubet.

## §. II.

### QVID LEGITIMATIO ROMANA.

Legitimatio a) *de iure Romano* est actus, quo liberi naturales consentientes, b) instar legitimorum c) rediguntur in patriam potestatem §. ult. I. de nupt. Nou. 89. c. 1. seqq.

a) Diuersa longe a legitimatione est *natalium restitutio*, quippe quae erat beneficium principis, quo ita ingenui fiebant libertini, ac si nunquam in iusta seruitute fuissent, t. t. ff. de natalibus restituendis. Quamuis, maxime hodie, haec denominatio etiam legitimationi tribui soleat. conf. LAVTERB. C. T. P. Lib. XL. Tit. XI. in fine.

b) Patris consensum necessarium fuisse per se patet, cum ei inuito patria potestas obtrudi non potuerit.


c) Fictionis *retrotractivae* hic ut plurimum mentionem faciunt, quam vero, cum passim in dubium vocetur, in definitione omittere malui. Diceretur tamen ea de re infra §. X.

## §. III.

### LEGITIMANTVR TANTVM LIBERI NATVRALES.

Liberos *naturales*, dum hic opponuntur *legitimis*,  
A 3 intel-





intelligi eos, qui procreati sunt ex *concubina*, res ipsa loquitur, qui etiam frequentior significatus esse solet. *t. t. C. de natural. liber.* Licet, quando comparatio fit cum liberis *adoptiuis*, ipsi etiam *legitimi* hac voce insigniantur. *L. 29. L. 31. ff. de adopt. add. BARNAB. BRISSON, de verborum signif. verbo: naturalis.*

#### §. IV.

##### QVID CONCUBINATVS.

Est vero concubinatus quando vir coelebs mulieri ita cohabitat, ut haec quidem vxor non sit, sed tamen vxoris loco sine nuptiis in viri domo moretur. Legibus naturalibus ista societas omnino est alligata & saltem effectibus, quos ius civile iustus nuptiis tribuit, destituitur. Vnde *pellex*, quae cum eo, cui vxor est, corpus miscet, post *L. Iuliam & Papiam Poppeam*, qua concubinatus primum certae leges sunt dictae, iisque seruatis ineundi illius potestas data, a concubina admodum differt. *L. 144. ff. de V. S. & plurimae inter matrimonium & concubinatum deprehenduntur conuenientiae, adeo ut hic inaequale coniugium dicatur in L. 3. C. de natural. liber.* Iurium tamen & dignitatum eius, qui concubinam habet, neque concubina neque liberi ex ea nati participes sunt, quemadmodum has similitudines & dissimilitudines legitimi matrimonii & concubinatus pluribus illustrent *FRANC. RAMOS DEL MANZANO peculiari opusculo*





lo de concubinis in MEERMANNI thesauro iuris Tom.  
V. p. 551. sqq. & HEINECCIUS in comm. ad L. Iul.  
& Papiam Popp. Lib. cap. IV.

### §. V.

AD NATOS EX DAMNATO COITV LEGITIMATIO NON  
PERTINET.

Excluduntur igitur hoc legitimationis beneficio  
omnes ex prohibita coniunctione nati a) spurii b) siue  
vulgo quaesiti, & multo magis adulterini atque ince-  
stuosi c) quippe qui vel patrem demonstrare non pos-  
sunt, vel qui possunt quidem, sed talem habent,  
quem habere non licet, vt loquitur MODESTINVS  
in L. 23. ff. de statu homin. add. L. 5. L. 7. L. 10. L. 11.  
C. de natur. liber. Nou. 89. c. 8.

a) Adeo vt ne principem quidem iure legitimationem  
concedere posse crediderint. t. t. C. si contra ius vel uti-  
litas publ. aliq. postul. vel impetr. Secus, si ex absoluta  
potestate agere voluerit. vid. THOMAS ad STRAVCH.  
dissert. IV. tb. III.

b) Spurii proprie dicuntur, qui ex meretrice publica seu  
scorto meritorio sunt procreati. Sed & liberi, qui ve-  
nere furtiuam ex muliere alias honeste viuente, cum qua  
tamen non est stabilis & domestica consuetudo, certo  
licet patre, nascuntur, naturales non intelliguntur; sed  
pro spuriiis habentur, qui ex stupro, cuius flagitium lex  
Iulia punit, geniti sunt.

c) Nolim tamen cum IO. VOETIO commentar. ad ff. tit.  
da





de concubin. § 8. adulterinis vel incestuosis accensere, qui ex matrimonio putatio, quod inter coniuges, qui coniungi non possunt, bona, vel vtriusque vel saltem alterutrius, fide contrahitur, nascuntur. Licet enim hoc matrimonium ratione subiecti sit illegitimum, interea tamen temporis, quo de errore nondum constat, nihil vetat, quo minus legitimum censeatur. Tantum igitur abest, ut liberi ex eiusmodi matrimonio nati pro adulterinis vel incestuosis haberi debeant, ut potius iure legitimorum fruantur, & cum aliis legitimis succedant, adeoque ne legitimatione quidem opus habeant IAC. GOTHOFREDVS ad L. 207. ff. de reg. iuris. Id quod iure canonico extra omnem dubitationem positum est. per C. 2. C. 8. C. 14. X. qui filii sunt legitimi. conf. I. N. HERTIVS de matrimonio putatio §. 22. seqq.

# §. VI.

## DESIDERATUR LIBERORVM CONSENSVS.

Quemadmodum vero ab antiquo apud Romanos inualuerat principium, quod filii naturales vel emancipati inuiti non redigantur in patriam potestatem L. ult ff. de his qui sui vel alieni iuris sunt, ita etiam illud, postquam ordinarius modus illegitimos patriae potestati subiiciendi fuit statutus, est retendum. Rotunde enim IVSTINIANVS Nouell. 89. c. 11. decidit: Generaliter in omnibus, qui per praedictos modos deducuntur ad legitimum ius, tunc hoc volumus obtinere, dum & filii hoc ratum habuerint. Nam si soluere ius patriae potestatis inuitis filiis non permissum est patribus, magis





magis sub potestatem redigere inuitum filium & nolentem  
sive per oblationem ad curiam, sive per instrumentorum  
(dotalium) celebrationem, sive per aliam aliquam machi-  
nationem tanquam sortem metuentem paternam, iustum  
non est. Neque est, quod quis hoc miretur. Filii  
naturales enim erant homines sui iuris, per legitima-  
tionem autem fiebant alieni iuris. Vt itaque haud ab-  
surde dicatur, naturales filios meliore olim conditio-  
ne vsos, quam legitimos, praesertim cum tali macula,  
qua hodie filii illegitimi laborant, notati non essent,  
ceu §. seq. dicam. Eleganter hoc exposuit IO. MER-  
CERIVS lib. II. opinionum & observationum cap. VIII.  
in EV. OTTONIS Thesaur. Iuris Tom. II. p. 1594.  
Sunt vero exceptiones nonnullae, quibus liberi  
naturales patriam potestatem inuiti subibant, e. g. si  
curiae offerendi initio hanc oblationem & successionem  
patris recusauerint, & postea nihilominus paterna-  
rum opum vel in solidum vel ex parte reperti fuerint  
possessores. L. 3. L. 4. C. de natural. liber. N. 89. c. 3. §. 1.  
Item, si matrem, ne iustae nuptiae cum ea celebren-  
tur, occultauerint. Nou. 89. praef. §. 2. & cap. 2.

## §. VII.

FINIS LEGITIMATIONIS ROMANAE, ACQUISITIO PATRIAE  
POTESTATIS.

Praecipuus apud Romanos legitimationis effectus  
B erat





erat acquisitio patriae potestatis. Vnde etiam in legibus illorum principaliter de ea inter modos acquirendi patriam potestatem agitur. Quemadmodum igitur haec in utilitatem patris potissimum comparata erat, ita etiam ratio legitimationis eodem se modo habebat. Certe ad eluendam maculam, quae hodie haeret ab illegitimis natalibus, liberis naturalibus legitimatione, eo minus erat opus, quo magis etiam spuris & incestuosis, quorum tamen turpissimi erant natales, a) absque ulla praeiudicia existimationis restitutione, aditus ad dignitates patebat. *L. 3. §. 2. L. 6. pr. ff. de decurion.* Et quamvis agnationis essent exsortes, neque eodem cum legitimis succedendi iure gauderent, tamen vel hoc ipsum magis in dedecus patrum, quam contumeliam liberorum vertebatur, IVSTINIANO in *l. ult. Cod. de natural. liber.* diserte statuente, quod constitutiones ideo prohibuerint, naturalibus tantum relinqui, quantum patres voluerint, quia vitium paternum refrænandum esse existimauerint.

- a) Levis notae maculam, ab infamia facti distinctam, Romanos non ignorasse, nemo inficias ibid. v. HEINECC. de levis notae macula ad *l. 27. C. de inofficioso testam. §. 32.* LEYSER specim. ad ff. *LII. medit. V.* Parentum quoque vitium nota aliqua adspersisse liberos, exinde patet, quod spurii aliter ad decurionatum admissi non fuerint, quam si legitime quaesiti competitores deficerent. *l. 3. §. 2. ff. de decurion.* Quorsum pertinet locus PLUTARCHI ab HEINECCIO *l. c.* excitatus. Talis tamen nota



nota illa non erat, vt vel tribu moueret, vel a dignita-  
tibus excluderet. Multo minus ius capiendi heredita-  
tes impediēbat, licet hic dissentiant I. GOTHOFREDVS  
ad l. 3. *Cod. Theodos. de inoff. testam.* & ZACH. HVBE-  
RYS de *casibus enucleatis. quaest. III. §. 7. seqq.* Sed illi  
C. THOMASIVS de *usu pract. doctrinae institut. de liber. le-  
gitimatione c. l. §. 3.* huic HEINECCIUS l. c. respon-  
derunt.

§. VIII.

VARIJ LEGITIMATIONIS MODI.

Modi legitimationem perficiendi recensentur  
tres a) I. per subsequens matrimonium II. per ob-  
lationem curiae III. per rescriptum principis.

- a) Neque secundus, qui plane ab usu recessit, neque  
tertius iam ad me pertinet. Multo minus hic de le-  
gitimatione per arrogationem l. 6. de *nat. liber.* aut de  
legitimatione per testamentum a principe confirmatum  
Nou. 74. c. 2. dicetur, cum illa a Iustino in l. 7. C. b. t.  
abrogata sit, haec verò cum legitimatione per rescri-  
ptum principis conueniat. Addunt praeterea nonnulli  
legitimationem per nominationem filii filiaeue in testa-  
mento alioque instrumento publico simpliciter, & citra  
adijectionem verbi *naturalis*, factam, prouocantes ad  
Nou. 117. c. 2. Verum ipsa hac constitutio satis de-  
monstrat, neutiquam ibi de noua legitimationis specie  
agi, sed tantum constitui, ex eiusmodi nominatione  
praesumptionem nasci, interuenisse matrimonium legi-  
timum, & liberos proinde esse legitimos. Tantum igitur





tur de primo modo, quantum ad institutum facit,  
paucis videbo.

### §. IX.

DE LEGITIMATIONE PER SUBSEQUENS MATRIMONIUM.

Legitimationem per subsequens matrimonium excogitavit CONSTANTINVS M. Eam vero insequentes imperatores ZENO, ANASTASIVS, IVSTINVS, & praecipue IVSTINIANVS confirmarunt & ampliarunt, ita vt cum initio tantum ad liberos naturales ante legem illam natos pertinuisse videatur, tandem etiam in futurum ad omnes postea nascituros extensa fuerit. l. 5. l. 6. l. 7. l. 10. l. 11. C. de nat. liber. conf. DESID. HERALD. rer. & quæst. iuris quotidian. lib. I. cap. 4. IAC. GOTHOFRED. comment. ad l. 1. Cod. Theodos. de natural. filiis.

### X.

ARGVMENTA EORVM, QVI IN HAC LEGITIMATIONIS SPECIE  
FICTIONEM RETROTRACTIVAM NEGANT.

Fictionem simplicem, qua finguntur liberi legitime nati, qui tamen illegitimam natiuitatem, habuerunt, in omni legitimatione, adeoque etiam in ea, quae fit per subsequens matrimonium, interuenire, nemo negabit. Sed quaestio est de fictione retrotractiva, vtrum scil. haec legitimationis species aliter locum habere nequeat, quam si tempore vel conceptionis vel natiuitatis






*tiuitatis* iustum matrimonium inter personas concumbentes subsistere potuerit? Affirmant eam interpretes communiter, inter quos I. STRAVCHIVS *dissert. ad ius Iustinian. IV. §. 3.* HEINECC. *element. institut. §. 116.* SCHAVMBURG *compend. digest. tit. de his qui sui vel al. iuris. §. 9. sq.* Negant autem, post alios, VINNIVS *ad §. ult. l. de nupt. STRYKIVS vsu moderno L. 1. tit. 6. §. 11.* & inprimis I. H. BOEHMERVS *de legitimatione ex damnato coitu nator. §. 14.* a sententia, quam antea in *introduc. in ius digestor. §. 42.* defenderat, discedens. Argumenta potiora sunt: a) nullibi imperatores constituisse, talem *fictionem retrotractiuam* hic fundamenti loco esse ponendam, cum tamen *legum* tantummodo sit, *fictiones*, ubi necessitas id postulat, inducere, non interpretum, fingere *fictiones cerebrinas.* b) Hanc doctrinam, vtrum retrahendum matrimonium ad tempus *conceptionis*, an vero ad tempus *natiuitatis*? a doctrina legitimationis plane esse alienam. Neque enim illius temporis amplius rationem haberi posse, quod IVSTINIANVS per *l. 11. in f. C. de nat. liber.* immutauerit; neque etiam huius h. e. *natiuitatis*, vtpote cuius duntaxat in iis casibus ratio habenda sit, in quibus subsequens matrimonium liberos antea natos non faciat legitimos, minime autem trahi posse ad legitimationem naturalium, qui per subsequens matrimonium iustum, in parentum beneficium & solatium, legitimi efficiantur, quod a concubinato re-

B 3

cedere,





cedere, eumque in verum matrimonium transfor-  
mare voluerint. c) Si *fictioni* huic retrotractivae lo-  
cus esset relinquendus, sequi, ex stupro h. e. ex *soluta*  
& *soluta* natum, per matrimonium subsequens iure  
civiliter legitimari debuisse, quod utroque tempore &  
*natiuitatis* & *conceptionis* inter eos potuerit esse verum  
connubium. E contrario contingere potuisse, ut in-  
ter quos tempore *conceptionis* non poterat esse iustum  
matrimonium, nihilominus legitimatio per subse-  
quens matrimonium procederet; liberosque antea na-  
tos legitimos efficeret, cuius rei exemplum capi posse  
ex *Nou. 78. c. 4.* ubi mater tempore natiuitatis libero-  
rum *ancilla* fuisset: cum ea vero matrimonium eo  
tempore non constare, adeoque, posita hypothesi  
communi, liberos ex ancilla natos per matris manu-  
missionem & legitimas cum illa contractas nuptias,  
legitimari non potuisse, cum tamen huic connubio  
subsequenti hunc effectum dederit imperator, ut li-  
beris antea natis & *libertatis* & *suorum ius* compe-  
tere debeat. d) Quae a praesumpta voluntate eorum,  
qui consuetudinem concubinariam inter se elegerunt,  
& quod verosimile non sit, eum, qui postea vel donatio-  
nem vel dotem conscripserit, ab initio talem affectionem  
circa mulierem non habuisse, deducat Imperator in l. 10.  
*C. de natur. liber.* ad fictionem iuris trahi non posse. e)  
Cum matrimonio subsequenti hic effectus tributus sit,  
ut etiam liberis antea natis prodesse queat, hoc suffi-  
cere,



cere, neque fictione opus esse. Qua de causa, f) nec intermedium matrimonium nocuisse videatur; quod vero non procederet, si *fictioni* inhaereas, quia credendum foret, vno eodemque tempore maritum *duas legitimas uxores* habuisse, quae conclusio iuri Romano repugnasset, vel ad minimum impediisset prolis antea susceptae legitimationem.

# §. XI.

IVRE NOVISSIMO FICTIO RETROTRACTIVA CESSAT.

Responderi potest ad a) dum Imperatores, & ipse IUSTINIANVS in l. 10. l. 11. C. de natural. liber. & §. ult. l. de nuptiis legitimationem iis tantum liberis, qui ex muliere libera, cum qua quis habere poterat connubium, procreati sunt, indulserint, natos vero ex ancilla, quam tamen manumitti, & sic uxorem duci, exceptis Senatoribus horumque filiis, nihil impediabat, vid. HEINECCIUS ad l. Iuliam & Pap. Popp. p. 127. sed quacum, stante conditione servili, nullum erat connubii ius, excluderint: manifestum esse, legislatores ad tempus *conceptionis* vel *natiuitatis*, vtrum scil. tunc matrimonium subsistere poterit, nec ne? respexisse, & si eo tempore aliquid impedimenti reperiretur, legitimationem denegasse. Addi posse, leges, quando de iustitia nuptiarum praecipiant, non tantum passim in *praeterito* tempore loqui, sed etiam discrete, vt ius connubii *ab initio* adfuerit,





fuerit, exigere. Sic IUSTINIANVS in l. 11. C. de natural. liber. Si quis mulierem, inquit, in suo contubernio collocauerit, non AB INITIO affectione maritali (EAM TAMEN, CVM QVA POTERAT HABERE CONNVBIVM) & ex ea liberos sustulerit, POSTEA vero affectione procedente etiam nuptialia instrumenta cum ea fecerit cet. Et §. ult. l. de nupt. verba habent: Nec non is, qui a muliere libera procreatus, cuius matrimonium minime legibus interdictum FVERAT, sed ad quam pater consuetudinem habuerat, POSTEA ex nostra constitutione, dotalibus instrumentis compositis, in potestate patris efficitur. Hoc igitur ad probandam fictionem retrotractiuam sufficere, quamuis ipsum fictionis vocabulum in legibus non occurrat. Ad b) quaestionem: vtrum tempus conceptionis, an vero natiuitatis spectandum sit? a doctrina legitimationis prorsus alienam dici non posse, cum certe decisio quaestionis: vtrum partus ante matrimonium conceptus, & mox contracto eo natus, pro legitimo, an vero legitimatedo haberi debeat? inde dependeat, quorsum etiam constitutio IUSTINIANI in l. 11. C. de natural. liber. pertinet. Ad c) legitimationem pertinere tantum ad liberos ex licita coniunctione natos, adeoque spurios excludi, licet inter eorum parentes matrimonium subsistere potuerit. Falsum vero esse, liberos ex ancilla natos, quam diu legitimatio antiquam suam formam seruauit, per subsequens matrimonium




monium legitimari potuisse, ut iam dictum; & IVSTINIANVM demum, qui, monente THOMASIO de usu pract. doctrinae de legitimatione cap. I. §. 12. totum fere legitimationis inuentum destruxit, nouissime Nou. 18. cap. 11. & Nou. 78. cap. 4. aliud statuiffe. His ita stabilitis, parum ad d) ob stare, quod ex l. 10. C. de natural. liber. eiusmodi fictio probari nequeat. Et licet ad e) effectus legitimationis matrimonio subsequenti recte tribuatur, tamen eum aliter locum non habere, quam concurrentibus legum requisitis. Denique ad f) quaestionem: an matrimonium intermedium legitimationi postea factae officiat, nec ne? multis dubiis inuolutam esse, vid. LEYSER Specim. ad ff. XIX. medit. 3. ut igitur nihil certe exinde contrarationes hactenus allatas effici queat. STRAVCHIVM quoque dissert. IV. thes. 9. & HYBERXM Praelection. ad ff. Lib. I. tit. VI. §. 10. in fine iam docuisse, licet in calu hoc singulari fictio retractionis cesseret, inde tamen ad alias legitimationis species argumentum duci non posse. Verum enim vero licet haec omnia satis bene se habeant, & probent, ad euoluendam originalem legitimationis naturam, fictionem retractionis commodum adhiberi; diffitendum tamen non est, IVSTINIANVM, dum legitimationem liberorum ex concubina serui natorum admisit, ab hoc principio discessisse, adeoque iure nouissimo fictionem retractionis cessare, & sufficere, si matrimonium ex post-

C

facto





*facto* inter concumbentes subsistere queat, quamvis neque tempore *conceptionis* neque tempore *natiuitatis* valide celebrari potuerit. Quibus omnino est consequens, disputationem, quisnam ex duplici hoc termino, ad obtinendum legitimationis effectum, spectandus sit? inanem esse & inutilem.

## §. XII.

LEGITIMATIO VTRUM NVPTIIS DEBEATUR AN VOLVNTATI PATRIS?

Legitimationem iure Romano absque voluntate patris non procedere a) dixi supra §. I. not. b. Quod procul dubio haecenus etiam in legitimatione per subsequens matrimonium obtinet, ut in libero patris arbitrio sit positum, velitne cum concubina iustas nuptias inire & sic legitimationem liberorum naturalium perficere, nec ne? Sed noua oritur quaestio: utrum, nuptiis legitime contractis, legitimatio ab iis *solis* pendeat, an vero praeterea opus sit, ut pater eam in rem sigillatim voluntatem suam declaret? Posterius affirmat ANTON. PEREZ *Praelection. in Cod. tit. de natural. liber. num. 10. in fin.* hanc reddens rationem, quod aliter legitimatio nuptias non sequatur, quam si pater *voluerit* instrumenta dotalia conficere. Vnde patet, parum abesse ab hac sententia omnes, qui ad huius legitimationis substantiam *confectionem instrumentorum dotalium* simpliciter necessarium ducunt,



cunt, quæ opinio quondam communis fuit, & recentiore ævo defensores inuenit duumuiros celeberrimos ARNOLD. VINNIUM *commentat. ad §. ult. l. de nuptiis* & GERARDUM NOODTIUM *commentar. ad ff. tit. de his, qui sui vel alieni iuris. p. m. 27.* Sed salua res est. Quamuis enim instrumentorum dotalium, seu nuptialium, mentio fiat, ubicunque de hac legitimatione agitur, illud tamen neutiquam ad legitimationis substantiam, sed vnice ad matrimonii vere & rite initi probationem se pertinuisse, inde clarum est, quod, quemadmodum moribus fere omnium gentium, ad euincendam iusti connubii veritatem non quaelibet probatio sufficit, sed solennis quaedam consensus matrimonialis manifestatio exigitur, ita etiam Romani in hunc finem instrumenta dotalia, *b)* vel consensum ad acta declaratum, desiderauerint. *vid. l. 4. §. 4. C. de aduocat. diuersor. iudic.* maxime inter personas disparis conditionis, *arg. l. 22. §. 23. C. de nupt.* quales concubinae esse solebant, *c)* & quarum proinde transitus ex concubinato in matrimonium aliter probari non poterat. *d)* Manet igitur, vitium ex coniugii defectu ortum, vi solius coniugii, modo hoc legitime probetur, tolli, idque ad omnes omnino liberos se extendere. Quod etiam, ne vlla supersit dubitatio explicare statuitur in *l. 5. C. de natural. liber.* verbis: *filios vtriusque sexus ex earundem mulierum priore contubernio natos, MOX POSTQVAM nuptiae cum eorum*





*matribus fuerint celebratae, suos patri & in potestate fieri.*  
 CONF. VLR. HUBERI *praelect. ad tit. l. de nuptiis §. ult.*  
 PAUL. VOET. *comment. ad l. tit. eod. §. 13. num. 4. in*  
*f. IOH. VOET. comment. ad ff. tit. de concub. §. 12.*  
 IAC. CUIACIUS *lib. 13. obs. 4.*

- a) Singulare quid occurrit in legitimatione per oblationem curiae (quae vero plura singularia habet) quam quidem regulariter pater faciebat, ipse tamen filius etiam semetipsum offerre poterat. *Nou. 89. c. 2. §. 2.*
- b) Historiam constitutionem de necessitate Instrumentorum dotialium accurate dat PETR. GYDELINVS *iur. nouissim. lib. 1. cap. IX.*
- c) Erant enim ut plurimum *seruilis conditionis. l. 8. ff. de pignorib. l. 38. ff. de reb. auctor. iudic. possid. l. ult. C. commun. de manumission.*
- d) Facit huc quod IUSTINIANVS in probando matrimonio testes reiecerit, admittens tantum *litterarum testimonia, Nou. 74. c. 4.*

### §. XIII.

#### TRANSITVS AD IVS CANONICVM.

Omnia haec expeditiora sunt de *iure canonico*, quippe quod expressis verbis vnice matrimonio, quod pro sacramento habet, legitimationem tribuit in C. 6. X. qui filii sint legitimi, cuius verba sunt: *Tanta est vis matrimonii* (in textu originali legitur *sacramenti* vid. BOEHMER de legitimat. ex damnato coitu nator. §. XXII.)





§. XXII.) *ut, qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium legitimi habeantur.* Vnde *dotalia instrumenta*, quorum locum in probando coniugio hoc iure *benedictio sacerdotalis* obtinet, nihil hic efficiunt. Neque etiam liberorum consensus amplius necessarius videtur, quia, *ut matrimonium inuitis liberis contrahitur*, ita ex eo re ipsa legitimatio inducitur. PEREZ *Praelect. ad C. tit. de natural. liber. num. 10.* Saltem, cum ob mutatam patriae potestatis indolem & insignem maculam, quae hodie ex illegitima natiuitate oritur, legitimatio iam primario in utilitatem liberorum tendat, eorum consensus semper est praesumendus. BOEHMER. *loc. cit. §. XXVI.*

#### §. XIV.

DE LEGITIMATIONE EX DAMNATO COITU NATORVM.

Uterius processit Ius Canonicum. Cum enim *concubinatus* per varias constitutiones ecclesiasticas prohibitus, conf. BOEHMER *I. E. protestantium lib. III. tit. II. §. XXII. sqq.* & nihilominus institutum legitimisationis retentum fuerit, non potuit non haec ordinatio etiam *ad natos ex damnato coitu* extendi, cum praeter matrimonium nulla amplius superesset licita coniunctio, adeoque omnes liberi aut *legitimi* nascerentur, aut ex prohibito *concubitu*. De *spuriis* res certa est per *C. I. X. qui filii sunt legitimi.* Quam






ob causam quoque sententia, quod, *iure Canonico*,  
geniti ex soluto & soluta loco liberorum *natura-*  
*lium* obtineant, communiter inualuit. GONZALEZ.  
TELLEZ *ad dict. C. I. num. 6. in fin.*

§. XV.

LIBERI ADULTERINI AN PER SVBSEQUENS MATRIMONIUM  
LEGITIMENTVR?

Postquam vero praeterea etiam matrimonium  
inter *adulterum* & *adulteram*, dum ne in mortem  
prioris coniugis alteruter fuerit machinatus, vel praec-  
mature, cum adhuc viueret ille, de contrahendo  
post eius mortem coniugio praestita fuerit fides, per-  
missum fuerit in *C. 6. X. de eo qui duxit in matrimo-*  
*nium, quam per adulter. polluit*, ingens natum est liti-  
gium, an per eiusmodi matrimonium liberi adul-  
terini legitimentur? Negat hoc enim ALEXAN-  
DER III. in *C. 6. X. qui filii sint legitimi*, verbis: Si  
autem vir viuentis uxore sua aliam cognouerit & ex ea  
prolem susceperit, licet post mortem uxoris eandem duxe-  
rit, nihilominus spurcius erit filius, & ab hereditate re-  
pellendus, praesertim si in mortem uxoris prioris alter-  
uter eorum aliquid fuerit machinatus. Qui in sententia  
plerique omnes iuris canonici interpretes consistunt,  
hac tamen cum differentia, ut alii partui *adulterino* le-  
gitimationem simpliciter abiudicent, ad tempus con-  
ceptio-





ceptionis respicientes, FRANCISC. SARMIENTO *lib. I. select. interpret. cap. V. num. 10.* PEREZ *Praelect. ad C. tit. de natural. liber. num. 12.* alii eam admittant, si saltem tempore *natiuitatis* matrimonium subsistere potuerit, mortuo forte priore coniuge, dum mater adulterina vterum gestaret. ANDR. FACHINAEVS *controuersiar. lib. III. cap. I.* Quorsum pertinet longa disceptatio de fictione matrimonii ad tempus *conceptionis* vel *natiuitatis* retrorahenda, cuius supra mentionem feci. Quemadmodum autem, nullum *fictionis retractiuae* iure nouo superesse usum, probaui (§. XI.) ita recte omnino STRYKIVS *Vf. modern. tit. de his, qui sui vel alieni iuris §. XII.* & qui cum sequuntur, BOEHMERVS alique, docent, tempora constitutionum canonicarum esse separanda. Certum esse, sub ALEXANDRO III. matrimonium eum adultera generatim pro prohibitio esse habitum, tunc vero *maxime* si adulterae fides matrimonii data, vel machinatio in alterius vitam accesserit, quemadmodum idem pontifex statuatur *in C. I. X. de eo, qui duxit in matrimon. quam adulter.* Quo posito non potuisse eundem ALEXANDRVM III. *in C. 6. X. qui filii sint legitimi* aliter rescribere, quam ex adulterio susceptum per matrimonium non legitimari, praesertim si insidiae vitae accesserint, in quibus textibus particulae *maxime & praesertim* sibi accurate respondeant. Successu vero temporis paulatim inualuisse, vt matrimoni-






monium inter adulterum & adulteram, modo promissio matrimonii viuentis priore coniuge, & insidiae vitae abessent, permissum fuerit, ita vt INNOCENTIVS III. in C. 6. de eo, qui duxit in matrimonium illud plane legitimum pronunciauerit, quamobrem ab hoc tempore liberos antea natos per eiusmodi matrimonium non posse non legitimari.

### §. XVI.

CONTINVATIO.

Aliter paullo incedit Vir illustris FRIDER. ES. PVFENDORF T. I. obs. iur. CLXIII. qui quidem legitimationem liberorum adulterinorum per subsequens matrimonium defendit, at vero existimat, decisionem ALEXANDRI III. in C. 6. X. qui filii sint legitimi ad casum propositum accommodandam esse, quo mater filii adulterini in mortem vxoris machinata fuerat, vt integra verba eius constitutionis, quae exstant in appendice concilii LATERANENSIS III. Part. 39. de a. 1179. apud HARDVINVM T. VI. conciliorum P. 2. pag. 1819. manifestant, relata a BOEHMERO de legitimatione ex damnato coitu natorum §. 22. Hunc casum igitur vnice Pontificem decidisse, & quamuis particula praesertim vulgo ampliatiua, non restrictiua habeatur, totam tamen verborum connexionem & rationem animi Pontificis quodammodo





modo fluctuantem vix excludere. Certe concilium Triburiense iam antea matrimonium huiusmodi praeter casus exceptos permisit *c. 5. Caus. 31. quaest. 1.* Eius autem auctoritatem apud Pontifices magnam fuisse, exinde clarescere, quod CLEMENS III. in *C. 5. X. de eo, qui duxit in matrim.* ad illud prouocauerit. Haftenus PVFENDORFIVS. Fuit haec quondam, non quidem quoad effectum legitimisationis, tamen quoad valorem coniugii, communis interpretum iuris canonici sententia, ut notat GONZALEZ, TELLEZ *ad C. 8. X. tit. eod. n. 6.* ipse tamen eam deferens. Add. HENR. CANISIUS *ad tit. eund. num. 7.* Differri tamen non possum, expositionem STRYKII & BOEHMERI magis mihi placere. Quamuis enim negari nequeat, fuisse pridem inter doctores ecclesiae, qui hoc matrimonium permittendum censerent, GRATIANVM quoque in nota subiecta *ad c. 3. caus. 31. quaest. 1.* prohibitionem ad duos casus postea exceptos restrinxisse, inde tamen lex constans & generalis probari non potest. Tanta enim non erat GRATIANI auctoritas, ut statim secundum eam pontifices pronunciandum duxerint. Neque quae ex *prouincialibus* conciliis, aut episcoporum, aut aliorum sanctorum libris vel epistolis accepit, generale fecerunt ius. FRANCISC. FLORENS *de orig. & auctor. iuris canonici Part. III. Tom. I. Opp. pag. 43. sq.* Immo Pontifices ne dispositionem quidem concilii Triburiensis, cuius verba

D

non





non de vitae insidiis, sed de ipsa occisione concepta sunt, retinuisse iam monuit BOEHMERVS I. E. P. lib. IV. tit. VII. §. 2. Vt itaque ratio non appareat, cur a nativa significatione particularum *praesertim* & *maxime* in memoratis ALEXANDRI III. constitutionibus recedendum sit.

### §. XVII.

AN LEGITIMATIO PARTVS ADULTERINI AD SVCCESIONEM PROSIT?

Indubitata haec videntur, quod ad matrimonii vim & legitimationem liberorum attinet. Neque me morantur, quae partim ex *Iure Romano*, partim ex C. 13. X. qui filii sint legitimi, opponi solent. Illius enim principia antiquiora nouissimis IVSTINIANI constitutionibus, & praecipue iure canonico, magnum deliquium fecisse, est ostensum. Dictum vero C. 13. quaestionem: *an pontifex per rescriptum in terris alienis ad effectus civiles legitimare possit?* tractat, quae non est huius loci. Nondum tamen confecta res est. Superest enim dubitatio, *an eiusmodi legitimatio etiam prosit ad successionem hereditariam in bonis parentum?* Certe cum passim iuris Canonici doctores spuris, quorum tamen legitimationem per *matrimonium* in dubium non vocant, successionis iura negent, illorum argumenta multo magis *adulterinis* ob-  
stare



stare necesse est. Dicunt autem, *spiritus* non iure *ciuili*, sed iure canonico propter sacramentum matrimonii legitimationem obtingere. Hereditariam vero successionem non a iure Canonico, sed iure ciuili pendere. FERDINAND. VASQUEZ *illustr. controuerf. lib. VI. cap. 41.* Sed rectius alii hanc distinctionem inter legitimationem *canonicam* & *ciuilem* reiiciunt, cum matrimonium iure pontificio iudicetur, cui consequens est, vt & successio hereditaria, ex matrimonio dependens ad omnes legitimatos per matrimonium indistincte pertineat. DIDAC. COVARRVV. *in lib. IV. Decretal. Part. II. cap. VIII. §. II. num. 8.* HENRIC. CANIS. *ad C. 6. X. qui filii sint legitimi num. 4.* Quia praeterea inter omnes conuenit, legitimationem *canonicam* in terris sub ditione Pontificis temporali sitis, effectibus ciuilibus non destitui, sua sponte patet, quod, ubicunque ius canonicum in vim iuris communis est receptum, idem obtinere debeat.

§. XVIII.

IVRE GERMANICO ANTIQVO FILII LEGITIMANDI PRAESENTIA  
DESIDERABATUR, ID QVOD HODIE CESSAT.

Addere possem plura ex *Iure Germanico*, praecipue quod legitimatio per subsequens matrimonium olim in Germania quoad effectus ciuiles fere ignota fuerit, donec consuetudo liberos ante natos, inter

D 2

nuptia-






nuptiarum solemnia, pallio patris vel matris contendi inualuit, de quo ritu erudite agunt viri Celebrissimi GRYPEN *de uxore theodisca* cap. VI. & C. G. RICCIUS *spicilegio iuris Germanici* p. 458. sqq. quodque hodiernum successionem in feudis aut fideicommissis familiae, vel aditum ad dignitates illustres, non vbiuis tribuat. Quia autem ritus ille antiquus dudum ab usu recessit, reliqua autem ad controuersiam praesentem parum conducunt, & praeter haec ius Canonicum hodie sequi solemus, iis non immoror. conf. HEINECCIUS *elementa Iuris Germanici* lib. I. §. 158.

### §. XIX.

#### DECISIO THEMATIS.

Ex haecenus dictis decisionem thematis facile confici posse existimo. Et de adulterinis quidem nihil amplius attinet dicere. Superest tantum, ut discutiatur, *an occultatio partus legitimationi officiat?* Obiicitur a) solas nuptias rem non conficere, sed requiri praeterea specialem patris declarationem, qua hic testatum faciat, se liberos illegitimos velle esse legi-





legitimatos, hanc vero non tantum deficere, si pater  
filium studiose occultet, sed etiam illum hac occulta-  
tione dissensum suum, & quod nolit filium fieri legiti-  
mum, satis declarare. Neque *b)* ipsius filii legiti-  
mandi consensum, pariter necessarium, hac ratione  
interuenire posse. Ex iis, quae supra dicta sunt, nul-  
lam responsio potest habere difficultatem. Postquam  
enim euictum est, legitimationem hanc vnice *ex vi*  
*& efficacia matrimonii* prouenire, manifestum est,  
neque dissensum patris, qui in nuptias consensit, ei  
obesse, neque consensum filii, qui praeterea semper  
praesumitur, desiderari. Taceo, vtriusque consen-  
sum, ex iis quae §. I. allata sunt, plene probari. Ne-  
que deest speciale argumentum, quo adstruitur, *oc-*  
*cultationem* partui in probando statu suo nihil obesse.  
Desumo illud ex *Nou. 117. c. 2.* Quaestio ibi est de li-  
beris, de quibus non constat, vtrum ex legitimo ma-  
trimonio suscepti sint, nec ne? & qui proinde pro-  
cul dubio *occulte* progeniti fuerunt, quod alias vix  
dubitatio oriri potuisset. Nihilominus, si pater eos  
nomine *filii* vel *filiae* in testamento vel alio instru.



mento publico adfecit, habendi sunt pro legitimis.  
 Quin si pater plures habens liberos, *uni* tantum  
 eiusmodi testimonium dederit, id *omnibus* ex eadem  
 matre natis, indistincte prodesse debere, statuitur  
 conf IOH. FRID. RHETIVS *dissert. de occultis cap. I.*  
*num. 19.* ubi casus in terminis, *vti aiunt;*  
*de partu & occultato &*  
*adulterino.*

F I N I S.



D 3





o legibus  
oni rum  
us ex eade  
e, statim  
cultis cap  
i aunc,











# TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

| Blue | Cyan | Green | Yellow | Red | Magenta | White | 3/Color | Black |
|------|------|-------|--------|-----|---------|-------|---------|-------|
|      |      |       |        |     |         |       |         |       |
|      |      |       |        |     |         |       |         |       |



TIFFEN® Gray Scale

© The Tiffen Company, 2007

| A | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | M | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | B | 17 | 18 | 19 |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|----|----|----|----|----|----|---|----|----|----|
|   |   | R | G | B |   |   | W | G | K |    | C  | Y  | M  |    |    |   |    |    |    |